

Psalmus 6

- 1 Domine ne in furore tuo arguas me,
neque in ira tua corripias me.
- 2 Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum:
sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.
- 3 Et anima mea turbata est valde:
sed tu Domine usquequo?
- 4 Converttere Domine, et eripe animam meam:
salvum me fac propter misericordiam tuam.
- 5 Quoniam non est in morte qui memor sit tui:
in inferno autem quis confitebitur tibi?
- 6 Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum:
lacrimis meis stratum meum rigabo.
- 7 Turbatus est a furore oculus meus:
inveteravi inter omnes inimicos meos.
- 8 Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem:
quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.
- 9 Exaudivit Dominus deprecationem meam,
Dominus orationem meam suscepit.
- 10 Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei:
convertantur et erubescant valde velociter.